

nerum, & ad diuersas partes, quæ si fuerit in angulis fortunata, & eius dominus similiter, dic in his bonum. Si fuerit e contra, contrarium dicitur.

Quando dominus nonæ, & pars itineris, & dominus eius, similiter Mars & Iupiter, uel maior pars eorum fuerit in signis aqueis, nauigabit per aquas &c.

Si pars stabilitatis, & dominus eius fortunatus fuerit, proficiet in peregrinationibus, & acquirat in eis, Si mali esse, dic contrarium.

Ratio itinerum sumitur à nona & eius domina, Vt exempli causa; Si nona dominus esset Scorpius, & Mars dominus eius esset in quarta domo, quæ est octaua à nona, dic quòd faciet itinera longa, ratione mortis alicuius, uel ratione hæreditatis mortui alicuius, eo quòd quarta domus, in qua Mars est, octaua est à nona. Sic age quoque in breuibus itineribus.

In scientijs.



Si signum nonæ fuerit domus Iouis in nocte, & Luna in eo, natus erit Astrologus, rerum celatarum relator. Idem erit si dominus nonæ fuerit Mercurius, aut in nona fuerit stella de natura Mercurij.

Si pars legis cum Saturno fuerit, natus perquiret res, & scientias antiquas, neque faciet aliquid, nisi præuia deliberatione. Si cum Ioue, erit legis bonæ.

Mercurius in nona à fortunis aspectus, ostendit natum ea per se discere quæ sibi nullius magisterio fuerint ostensa. Si à malis aspectus fuerit, dic contrarium.

Virgo ascendens alicuius, & Mercurius boni esse, uel saltem non infortunatus, significat fortunatum in Medicinis, sed in lucro & solario causa medicinae infortunatum. Si legibus adhæserit, erit infortunatus in suis aduocationibus aduersabuntur ei homines pro nihilo, & loquentur de ipso mala.

Mars & Venus in sexta, arguunt perfectum Medicum.

Mercurius retrogradus cum Venere in eodem signo faciunt perfectum cantorem.

Ingenium excellentissimum iudicabis, dum dominus nonæ, & medij cœli idem erit, uel unà se habuerint bene dispositos cum domino ascendente fortes Mercurio non currente ad combustionem, & erit maximum quid si cum hoc Mercurius fuerit in domo Saturni.

Mercurius in domibus Saturni, significat profundum intellectum in scientijs, & præcipue si fuerit significator natiuitatis, siue particeps bene dispositus, fortunatus atque fortis in Capricorno uel Aquario, significat quòd natus erit profundi ingenij, intelliget & eruet res ex ipsis fontibus, & eo fortius, si tunc Saturnus aspexerit Mercurium secundum qualitatem aspectus, nec ipse impeditus, magis tamen si fuerit Mercurius in Aquario, & magis si fortuna fuerit copulata cum Mercurio, uel fuerit ipse cum stella fixa fortunata. Quod si fuerit in Ariete uel Scorpione, significat quòd erit fortis per stultitiam & perfidiam, atque sui motus agilitatem, atque magnanimitatem, circa multos arrogans erit ex suis actibus armorum, eritque prudens & uelox ad intelligendum ea, quæ sibi dicta fuerant.

Mercurius in ascendente orientalis & uelox, facit natum eloquentem, & in scientijs liberalibus doctum. Idem etiam erit si in Sagittario fuerit in proprijs terminis tali modo.

Taurus uel Pisces ascendens alicuius & Iupiter, & Venus atque Mercurius in ascendente, si fuerit ipse Iupiter & Venus in Zâmini Solis, qualitercunque ascendens fuerit, erit tanquam propheta, & eius uerba melliflua reputabuntur.

Iupiter in Cancro, remotus ab ascendente, nec impeditus ab aliquo, facit natum rationabilem, & in scientijs ualde peritum, diliget tamen solitariam uitam, nec habebit laudem de scientia sua.

Propheta